

CONSIDERATIO XVII.

De Immutabilitate DEI.

Deus Immutabilis. 1. in natura & perfectione. 2. in gloria & beatitudine. 3. in decretis & voluntate.

P. 1. *D*eus immutabilis in natura & perfectione. Quid hoc in mundo cernimus, quam perpetuas rerum omnium vicissitudines, aliam identidem cali, aliam atque aliam terrae faciem. Serenitatem excipit tempestas, diem nox, et statim succedit hyems, fecunditati sterilitas, bello pax, morbis sanitatis, regna integrum internis externisque motibus fere lacerantur, deque unius in alterius transiunt potest tem. In ipso usque adeo homine quid stabile, quid inconcussum? Nullum mare tot agitat fluctibus, quot ipse perturbationibus, timoribus, curis, passionibus jactatur; ut merito Jobus c. 14. de eo pronunciat: *Nunquam in eodem statu permanet.* & Ecclesiastes. C. 2. *Vidi in omnibus vanitatem, et nihil permanere sub sole.* Sic omnia quæ extra Deum sunt (utpote incerta, vana, fluxa, peritura) quoad naturam, locum, statum, ceterasque qualitates mutationi

tioni subjecta sunt. Solus ipse est, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Jacob. 1. quique de se cum veritate dicere possit: *Ego Dominus, & non mutor.* Malach. 3. *Ego sum qui sum.* Exod. 3. purum scilicet: simplex, totum, unicum, aeternum, atque deo immutabile esse. Cum e contrario omnis essentia, quæ Deus non est nec pura, nec simplex, nec aeterna sit; ut proin defectus & mutationis expers esse non possit, utpote ex contrariis composita, & cum tempore transiens. Ipse quod est, semper fuit; quod fuit, semper, est; quod fuit, & est, semper erit; nunquam aliud a se, nunquam aliud in se, semper sibi constans, semper idem in omnibus tam in sua essentia, quam in Divinis perfectionibus citra nautationem vel minimam D. vinitatis. Unde Apost. ad Hebr. 1. *Tu autem idem ipse es.* Mira equidem & magna operatur Divina ejus omnipotentia in cælo & in terra, semperque operabitur: quin tamen tam vata & semper operando, minus nunc possit, quam potuerit ab initio, semperque poterit. Sapientia ejus infinita altissimis rerum contemplationibus semper defixa fuit, cognoscendo, quidquid est cognoscibile; nec solum se extendendo ad omnia, quæ extra

De.

Deum sent; sed & ad intima arcana essentiae
& perfectionum Divinarum; quintamen no-
vam cognitionem acquisiverit; aut præhabi-
tam unquam amiserit; eadem claritate, eadem
que facilitate nunc omnia cognoscens, qua
cognovit ab æterno, & vice versa Providen-
tia pariter Divina, licet invigilet & prospiciat
omnibus & singulis, idque ab ævo in ævum,
a generatione in generationem; tantum tamen
abest, ut aut temporis diuturnitate, aut re-
rum multitudine fatigata tedium aliquando
conceperit aut concipiatur; ut potius summa
cum delectatione & accuratiorne, ad vigilissima
usque adeo & minutissima animalcula vigilan-
tiæ suam, curamque extendat, semper ea-
dem, sibi que præsentissima; neque enim (ut
in humanis) fingere nobis Deum oportet,
quem curæ premant, quem capiat fastidium,
qui que laborem aliquem in operando sentiat
(quæ fragilitates radices quædam sunt huma-
næ mutabilitatis) cum in Deo nec occupatio
laborem, nec occupationis diuturnitas defas-
tigationem, molestiam, aut fastidium gene-
ret; sed sicut immotus omnia movet, & im-
mutabilis omnia mutat, ita pariter sine inquiete-
te omnia agit, ac sine onere omnia portat. Nec
minor in ceteris perfectionibus Divinis con-
stan-

stantia. Quid enim? An incomparabilis illa
Dei pulchritudo consenuit unquam, aut vel
hilum de pristino flore ac vigore amisit? An
justitia suspendi, aut constringi se unquam
passa est, ne perseverantibus in malo com-
merita decerneret supplicia, justosque ad
præmia æterna vocaret? Non patitur scilicet
infinita illæstentia, sive in se, sive in infinito
suis perfectionibus, vel minimam circum-
scriptiōiem, aut diminutionem; cum Deus
esse defineret, si mutari in eo quidquam pos-
set, sive aceipiendo, quod non habet, sive
amittendo quod habet. Ut proinde nec per
accessum quidquam in Deo augeri, nec per
defectum minui possit. O Deus meus! quan-
tus quamque inestimabilis est thesaurus Di-
vinitatis tuae, constans illa aique onus expers
vicissitudinis perfectio tua! Quocunque Di-
vinos oculos tuos extia te conjicis, vides mu-
tari omnia, & in motu esse continuo, & sem-
per uno eodemque permanente: haud aliter,
ac circa globum terraqueum perpetuo vol-
vuntur, ac revolvuntur cælorum orbis, ipso
in suo centro sine motu semper subsistente.
O quanta me inter & te differentia! Tu cen-
trum es in te ipso perpetuo quiescens, & in
quo omnia quiescent; ego extia centrum,

& in-

& instat mobilis perpetui semper in agitatio-
ne, quærens requiem, & nusquam inveniens,
nisi in te demum quiescam ; qui unicum cen-
trum es omnis naturæ ratione præditæ. Ah
quando tandem felix illa dies illucescat ; cum
a terrenis avulsus, plene requiescam in te !
Non satiabitur nec quiesceret ante cor meum,
ceu acus magnetica semper in motu ; donec
inveniat & respiciat te, tibique summo bono
inharet, & adharet. Quæret extra te,
quod non inveniet, nisi in te : emendicare
volet solatia a rebus creatis, sed quid referet
nisi vanitatem & dolorem ? &c.

P. 2. *In gloria & beatitudine.* Qualem in
vita hac mortali assequimur aut assequi possu-
mus felicitatem, nisi fragilem, inconstan-
tem, ac mortalem ? Quam multi apicem fe-
licitatis attigisse sibi videbantur, quoium
finis fuit interitus ? Omnis felicitas ac bea-
titudo nostra quid nisi pila est, quæ huc, il-
lucque jaetatur ; aut bulla, quæ vento flan-
tis, ac reflantis fortunæ circumfertur, donec
demum concidat, ac in se ipsa emoriatur ? At
quam longe alia Dei felicitas, cui sua stat,
stabilitque beatitudo inconcussa in omnem
æternitatem. Non ænulos ille habere potest
gloriæ suæ ac felicitatis ; non hostes, qui
no-

nocere possit; non invidos, a quibus sibi
meruat; cum præsidia omnia suæ felicitatis
in se uno habeat, omnesque hostes ipsa sua
gloria opprimat. Haber ille in semetipso fon-
tem perennem propriæ felicitatis, uti sol ve-
luti fontem luminis indeficientem; quin ab
alio eam mutuare, aut expectare debeat; cum
enim se ipsum sibi negare non possit, suam
que sibi perpetuo manifestet, ac velut in spe-
culo terfissimo exhibeat gloriam, majesta-
tem, pulchritudinem, potentiam, excellen-
tiam, omnesque & infinitas perfectiones;
ita, ut in se, suaque essentia videat omnis bo-
ni, pulchri, amabilis, ac delectabilis pleni-
tudinem, quin ab ea vel momento animum
revocare possit; inde gaudium summum, in-
de inexplicabiles delicias, inde infinitam de-
lectationem, suique perfectissimum amorem
profluere necesse est: eumque tam abundan-
tem, ut præter se, aut nihil amore suo dig-
num, aut saltem nullo dignum inveniat amo-
re, nisi unice propter se; cum quidquid boni
nomen meretur, ac naturam habet, a primo
bono profluat, atque in ipsum tanquam au-
thorem redundet. Tantum ergo abest, ut
hic fons felicitatis unquam deficiat, aut de-
ficiere possit; ut potius hic unus sit, ex quo

haurire debeant omnes , omnemque beatitudinem deficere necesse sit , si prima , universalis , & unica felicitas ac beatitudo deficiat ; cum enim Deus a se , in se , per se , & ex se beatus sit , & insuper sit primogenia , atque archetypa beatitudo omnium ; ita ut ab ipso , & per ipsum solum , velut causam primam omnium bonorum beati sint , quicunque beati sunt , manifestum sit , omnem omnium beatitudinem , in radice sublatam , & funditus extirpatam esse , si ipse beatus esse desineret . Et quomodo mi Deus ! infinita beatitudo , gloria ac magnificentia tua unquam deficere posset in tempore , quæ tota non defecit æternitate ? Nonne quod mutationi & defectui subjectum est , intra sæcula infinita aliquando saltem defecisset ? Ut proinde ipsa tua æternitas tuam in omni beatitudine stabiliat immutabilitatem , tua pariter immutabilitas æternitatem ; ut igitur addere aut demere ne ipse quidem potes æternitati tua , ita nec tua beatitudini ac felicitati : cum enim te ipsum semper & eodem modo , quo per totam hæc tenus æternitatem comprehendas , æternumque comprehensurus sis ; quin aliquid tui , tuarumque perfectionum te latere unquam potuerit , ac deinceps possit :

em-

omnino necessarium ac consequens est, tuam
 patiter beatitudinem, in hac clatissima tui
 cognitione consistentem, nunquam alterari,
 mutari, aut deficere posse. Ah mi Deus! ex
 hac ipsa æterna, & immutabili felicitate tua
 nonne quandam jam anticipationem habe-
 mus perpetuæ, & immarcessibilis illius bea-
 titudinis, quam præparasti diligentibus te?
 O quanta felicitas immutabiliter, & sine fine
 gaudere omni eo, quod te ipsum beatissimum,
 felicissimumque reddit! si in puris creaturis,
 quæ sicut umbra pertranseunt, tantum oblec-
 tationis invenio, ut non solum ægre ab iis
 avelli me sinam; sed & velut amens & fasci-
 natus, eas consector, & non inveniam in
 te, cum mihi revelabitur gloria tua, teque
 coram facie ad faciem contemplabor? Vel
 spes gustandi aliquando dulcedinem tuam in
 ipso fonte, nonne omne amarum in dulce,
 omnem incerorem in gaudium, omne trœ-
 dum in alacritatem convertere deberet? O
 quam vere Apostolus ad Rom. 8. Non sunt
 condignæ passiones hujus temporis ad futuram
 gloriam, quæ revelabitur in nobis. &c.

P. 3. In decretis & voluntate. Quam in
 Deo, Divinisque ejus perfectionibus intue-
 tur, & admirantur immobilem constantiam,

ita ut licet semper intra & extra se agat, num
quam tamen moveatur, aut fatigetur; licet
omnia innovet & alteret, ipse tamen nec al-
teretur nec innovetur; eandem proisus in
Divinissima ejus voluntate, sanctissimisque
decretis admirari necesse est. Quantumvis
enim diversa sint ea, quæ in secreto sapien-
tiae suæ consilio ordinat ac decernit, quan-
tumvis etiam sive loco, sive tempore discreta
sint, ut alia sint præterita, alia præsentia,
alia futura; licet etiam sanctissima ejus vo-
luntas hominem jam amet innocentem & ju-
stum, eundem mox oderit reum & peccato-
rem; illi jam decernat pœnas & supplicia,
alias eum absolvat & salvet; tantum tamen
abest, ut hac ratione quidquam in Deo mu-
tetur; ut e contrario una eademque simpli-
cissima, & individua Dei volitio sit, qua-
vult, & non vult, amat, & odit; idem
simplissimum patiter decretum, quo præ-
mia deceruit aut pœnas, hæc, illave ordi-
nat pro rerum temporumque diversa condi-
tione: haud secus, ac uno, simplissimo-
que intuitu absentia & que ac præsentia, præ-
terita non minus, quam futura, mala &
bona, & ad unum omnia, quantumcumque
diversa intuetur ac cognoscit. Ut proin prius

Ad-

Adamum in statu innocentiae amando , ac
dein in statu peccati odio habendo nec men-
tem unquam mutarit , nec propensionem ac
voluntatem ; quod unico voluntatis suæ actus
ab æterno in æternum & eum odet in cir-
cumstantiis peccati , & amat semper &
amabit in circumstantiis innocentiae , aut
fœnitentiae . O quam longe alia omnia in
Deo sunt , quam in miseriis mortalibus , quo-
rum intellectus per succedentes sibi & ob-
scuras cognitiones in notitiam rerum paula-
tim , & quasi per gradus ascendit , volun-
tas vero prius ab objectis moveri debet , de-
in in iis , quæ libera sunt , dubia , ancepit ,
ac veluti suspensa hæret , donec tandem pro-
rerum temporumque diversitate in diversa
diversimode rapiatur ; cum in Deo contra-
nec cognitio volitionem , nec una cognitio ,
& volitio alteram antecedat vel sequatur :
eo quod unica in Deo sit cognitio , qua om-
nia cognoscit ; unica pariter volitio , qua om-
nia vult ; unica similiter voluntas inclinatio
aut affectio , qua quidquid cognoscit , aut
vult , amat aut aversatur ; insuper voluntas
Divina nisi libertima sit , semper tamen &
ab æterno ad unum determinata sit ; quo libe-
ra ejus electio nunquam incepit , nun-
quam

quam interrupta sit, nunquam desierit, ac
desinere vel interrumpi æque parum in Deo
potuerit, ac sui ipsius amor, quo se ab æter-
no amat, aut odium peccati, quod ab
æterno detestatus fuit. Felicissima sane Dei
mei conditio! qua sit, ut consiliorum ac
decretorum suorum nunquam ipsum pa-
nitere possit; aut retractare cogatur, que
aliquando statuit: cum enim semper infalli-
bili scientia præsciverit, quid decernere ip-
sum deceret, quid justitia, quid misericor-
dia postularet; nec velle etiam potuerit,
quam quod convenientissimum, quod op-
tiuum, quod rectissimum est, suamque
authoritatem ac majestatem tuerit; qui
tendere eum posset illorum, que sapientissimo
consilio decrevit, & ad normam perfectissi-
mam omnis æQUITATIS dimensus est? Sed eheu!
quantam mihi doloris ac pœnitentiae mate-
riam præbet mutabilis nimium voluntas
mea! Quam multa improviso consilio sta-
tuo, quorum deinceps vel sola memoria hor-
rorem ac pudorem injicit! Quoties in di-
versa me abripunt passiones & inclinationes
pravæ; ut, quod ante volui, nolim, quod
nolui, postmodum velim claudicans in
utramque partem, & nunc Baal, nunc te

Do-

¶ (o) ¶

Dominum sequens! Quoties æternis rationibus convictus, propono, relictis tandem vanitatibus, adhærere tibi summo bono, semitamque ingredi justitiae; sed vix, pedem figo, statimque retraho, rediens ad pristinas vanitates, quas deserere parabam! Ah quid nisi inconstantia symbolum miser homo, nunquam sibi similis; ad momentum bonus, & paulo post in malum conversus, ante horam Apostolus, & post horam proditor! Ah sana Domine inconstantiam luidricæ, & nunquam stabilis voluntatis meæ: corroborame in bono, & *Spiritu principali confirmame*, Ps. 50. Ut nec adversis deprimenti, nec prosperis elevari me sinam, nec quavis ratione a semita justitiae deflectam. &c.

CONSIDERATIO XVIII.

De Pulchritudine DEI.

Hæc 1. perfecta. 2. illimitata. 3. infinita.

P. 1. *Hæc perfecta.* Habet hoc pulchritudo præ aliis bonis naturalibus, quod sola sui specie, lenociniis, ac illecebris fascinet oculos, incantet & rapiat animum, ac